quatenus cognoscamus. etiam quae nobis sunt ex eorum imitatione
facienda; Et nos ergo in eo qui est mortuus credentes.
si odore uirtutum refecti. cum opinione bonorum operum
dominum quaerimus. ad monumentum profecto illius cum aromati-
bus uenimus; Illae autem mulieres angelos uident. quae cum
aromatibus uenerunt; Quia uidelicet illae mentes supernos ciues
aspiciunt. quae cum uirtutum odoribus ad dominum per sancta desideria
proficiscuntur; Notandum uero nobis est quidnam sit quod in dex-
tris sedere angelus cernitur; quid namque per sinistram nisi
uita praesens; quid uero per dexteram nisi perpetua uita signatur;
Unde scriptum est; Laeua eius sub capite meo. et dextera illius
amplexabitur me; Quia igitur redemptor noster iam praesentis
uitae corruptionem transierat. recte angelus qui nunti-
are perennem eius uitam uenerat. in dextera sedebat;
Qui stola candida coopertus apparuit. quia festiuitatis
nostrae gaudia nuntiauit; Candor etenim uestis splendorem nostrae
denuntiat solempnitatis; Nostrae dicamus an suae; Sed ut fate-
amur uerius, et suae dicamus et nostrae; illa quippe redemptoris
nostri resurrectio et nostra festiuitas fuit; Quia nos ad inmorta-
litatem reduxit; Et angelorum festiuitas extitit quia nos
reuocando ad caelestia eorum numerum impleuit; In sua
ergo ac nostra festiuitate. angelus in albis uestibus apparuit;
Quia dum nos per resurrectionem dominicam ad superna
reducimur caelestis patriae dampna reparantur; Sed
quid uenientibus feminis affatur audiamus; Nolite expa-
uescere; Ac si aperte dicat; Paueant illi qui non amant. ad-
uentum supernorum ciuium; pertimescant qui carnalibus
desideriis praessi. ad eorum se societatem pertingere posse de-
sperant; Uos autem cur pertimescitis; Quae uestros esse ciues

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc271/0008